# MARCIAN TONII MONTI- SIANI GEMINIA- NENSIS DE SAN- GVINIS MISSIONE IN MORBO LATERALI Conclusiones.





FLORENTIAE.

# MARCIAN TONII MONTI- SIANI GEMINIA- NENSIS DE SAN- GVINIS MISSIONE IN MORBO LATERALI Conclusiones .





FLORENTIAE.

# MARCVS ANTONIVS MONTISIANVS GEMINIANENSIS DAMIANO FILIO. S.



ATTEVS Curtius, & Andreas Thurinus ambo mihi familiaritate cõiuncti, magni nominis viri de vene sectione pro morbo laterali scripsere non pauca. Quorum alter Galeni causam dicere profitetur, alter vero Auicennam à falso crimine vindicare conatur. Ego cum illorum rationes perlegerim, viderimq; eorum iudicium ab Hippocratis, & Galeni sententijs (quantum potui mente concipere) longe distare: statui pauca hæc congerere tibiq; filio mittere, vt cum in

*Pisano Gymnasio ubi medicam artem publice profiteris huiuscemodi passio ingenuis adolescentibus declaranda occurret, haec cum illorum dictis conferre possis, ut qui ex te audierint potiorem lectionem eligere valeant. vale Calendas Maias. 1556.*

MARCI ANTONII MONTIsiani Geminianensis de sanguinis missione in morbo laterali conclusio prima.



NCIPIENTEM in regione costarum phlegmonem, quam lateralem passionem appellamus reuulsu primo curare oportet, nisi nos interpellet plenitudo, illa scilicet quæ vasa respicit.

Huius conclusionis sententiam à Galeno habuimus in libro de sanginis missione cap. 19. cum inquit porro, vt summatim dicam incipientes phlegmones reuulsu curare oportet, si ergo lateralis morbus inter phlegmones locū hēt illū incipientem reuulsu curare necesse est, cuius ratio. Nam passio quælibet dum fit per effectricis suæ causæ remotionem remouetur, vt. 3. Tegni Gal. docuit cumq; humores, qui in costarum regione feruntur effectrices huiuscemodi passionis causæ sint. Igitur humores illos in particulam influentes remouere oportet. Quā rē reuulsio fœlicissime præstat. Ea igitur inchoante phlegmone reuellente auxilio vti debemus, si incipientem huiuscemodi passionem artificiosa methodo inhibere desideramus. Diximus autem nisi nos interpellet pleni

tudo. Nam si copia illa scilicet quæ vasa opplet pleuriticū oppresserit à plenitudinis inanitione curatio auspicanda est, vt materiæ reuellendæ paretur locus, qui à sanguine posside- tur; alias plena vasa retrahendos succos non admitterent. Conclusionem hanc Curtius, ac Thurinus admittunt; scientes passionem causam habentem sine illius semotione remoueri non posse. Flagitantq́; vt scitum hoc tamquam Hippocratis oraculum custodiatur.

## *Secunda conclusio.*

REVVLSIO nihil aliud est, nisi humorum in partem aliquam influentium ad sibi oppositam maximeq́; distantem retractio. Dictum hoc à Gal. habuimus. 5. & 9. Meth. cum inquit auertitur autem sanguis atque ad alia membra conuertitur, tum ad proxima deriuatus, tum ad contraria reuulsus; & subiungit. Omnis immodicæ euacuationis communia remedia sunt. Deriuatio ad vicina fit cùm id quod per palatum euacuatur per nares transfertur. Ad contraria reuulsio fit; cum id ad infima reuellitur. Et hoc modo quod illac influit hac reuocatur, & aliò transmittitur ad partem scilicet oppositam, sibiq́; contrariam; alioquin reuulsionis nomē & rōnem non obtineret. Ad reuulsionis enim rationem duo necessario requiruntur, alterum est humorum in

aliquam partium præſens impetus,alterum ad maxime diſtantia conuerſio, quæ quidem duo iuniorum Medicorum errata detegunt. Tradidit enim Manardus non tantummodò fluentem materiam eſſe reuulſione retrahendam,ſed illam etiam, quæ eſſet fluxioni parata, quod nullo pacto verum eſſe poteſt, cum humorum ſtatus reuulſionis rationem demoliatur,in qua humorum impetus tanquam ſuæ naturæ proprium ſit neceſſarius, vt 9.meth.legitur. Quãdo Gal.inter euacuationem reuulſionem,& deriuationem differentiã poſuit. Materia igitur quæ non mouetur,vt in aliquam partem incũbat,licet iam iam ruere videatur reuelli non poteſt cum ſuo loco quieſcat. Sed euacuanda eſt præuiſiua curatione ne ruat, quæ ſæpe ab humorum copia indicatur, vt à Gal. 13. meth. habemus, quando in vlceris alterius cruris curatione ante Macedonici,aut Aegiptiaci appoſitionem alterum crus ſcarificat euacuandæ plenitudinis gratia, & non reuellendi; vt eodem in loco Gal. eſt teſtis, & non vt magna Medicorum pars oſcitanter nimis interpretatur. præterea ſi corpus oppletum ſit quonam modo ad oppoſitam partem reuellere poterimus, ſi materiam quo vergat ignoramus. Nos enim latet an ex pultrix illam ad inferna propellet, an ad dexteram ſiniſtramue an infirma contentrix illã ĩ decliui ruere ſinat an aliquod ex mẽ

bris ad se trahat. Materia igitur dum fluit est ad longinquissima reuellenda vel ad proxima deriuanda, vt Gal 3.meth.autor est.

Aliud erratum est quãdo Manardus, Fuchsius, & Brissoctus fluentem materiam non ad maxime longinqua, seu ad distantia reuellendam esse dixerunt. Propter illas quas eo in loco ineptas rationes adduxerunt. Decepti vt apparet qm̃ reuulsionis, & oppositorum rationes obliuiõi mãdarunt non videntes, quod cum materiam à supernis ad inferna, aut à dextris ad sinistra vel ab anterioribus ad posteriora tanquam ad contrarium situm reuellendam esse dixerint. Quod illam ad longinquissima reuellendam præcipiunt. Cum superius & inferius, dextrum, & sinistrũ anterius, & posterius sint rectæ lineæ extrema. Extrema autem in suo genere maxime distant, quapropter opposita sunt, & vnũquodque illorum in suo genere longinquissimũ, quæ longinquitas, siue distantia non cubitali aut bicupitali talea mensuranda est, vt illi crediderunt, sed oppositionis ratione. Qua dextrum opponitur sinistro, superius inferiori, & anteriori posterius. Quorum omnium vna est contrarietas, & vna distãtia ita, vt dextrũ & sinistrum & sic de cæteris contrariis in formica, ita maxime & longinquissime inter se distant vt in Elephante dummodo vt extre-

ma ſunt rectæ lineæ conſiderentur ſicuti Ariſtotelem, Galenum, Auicennam, & alios bonarum literarum auctores intellexiſſe videmus.

## *Concluſio tertia.*

OPPOSITA in humano corpore tria tantum ſunt ſuperius ſcilicet & inferius dextrum, & ſiniſtrum, ante & retro, ſiue intus, & extra.

Sententiam hanc habuimus à Gal. 5. & 9. meth. & in tractatu de reuulſ. & Aphoriſ. 5. com. 68. & ratio eſt quoniam tres tantum ſunt humani corporis dimenſiones longitudo ſcilicet latitudo, & altitudo, quæ ſunt tres rectæ lineæ, quæ merito ſuorũ extremorum oppoſitionem faciunt. Cumq; ſint tres tantum tria tantum erunt oppoſita cum quælibet dimenſio duo tantum habeat extrema quibus terminatur, quæ vnam faciunt oppoſitionem ſecundum ſcilicet ſitũ ſiue poſiturã, & hoc idem habuimus ab Ariſt. 5. phy.

## *Concluſio quarta.*

OMNIS reuulſio fit, aut à ſuperioribus ad inferiora aut è contra fluentem materiam reuocando.

Hanc ſententiam habuimus à Gal. tum in lib. de venæ ſectione tum Aphoriſ. 5.

com . 68 . cuius ratio eſt , nam ſi reuellimus materiam,quæ ad alterum extremorum properat ad alterum ſecũdum oppoſitionem reuocando,cumq́; extrema in illis tribus tantummodo reperiantur neceſſario ſequitur,vt reuulſionem in tribus illis generibus tantum modo exerceamus. Quapropter ſi fluens materia ſuperna petit ad inferna retrahitur,ſi ad deſtras, ad ſiniſtras , ſi ad anteriores partes ad poſteriores. Quapropter Medicos quoſdam iuniores, & àmethodos tota video aberraſſe via,cum quærunt. An in coſtali morbo pro influente materia reuellenda vena affecti lateris ſecanda ſit , an oppoſiti cum ratio ipſa , & magnorum virorum authoritas nobis in oppoſitam partem ſemper reuellendam eſſe ſuadeat,ita ſcilicet vt materiam quæ in dextram particulam influit in ſiniſtram ſiniſtri brachii venam tundentes reuocemus. Vt Auicennam,Auenzoar,& Arabes ferè omnes, & alios etiam qui doctiſsimos Arabes ſecuti ſunt , & Latinorum magnam partem feciſſe videmus. Quis modo ita rudis eſt , vt hunc operandi modum qui ſecundum rationem fit demoliri ſtudeat ? Niſi qui cæca ductus ignorantia quo iter dirigat non conſpicit. Cum apud omnes cõſtantiſsimum ſit materiam in dextrã aut ſuperiorem,aut intimam, ingruentem eſſe in oppoſitam particulam reuellendam,in ſini

ſtram ſcilicet inferiorem,& extimam. Cum præſertim ſitus reuulſionis indicationem inſinuat. At Hippocrates,& Galenus alium operandi modum magis approbarunt, non tamē ab illo vnquā ſcito diſcedentes, quod reuulſio ad oppoſita ſemper fiat; ſed cum oppoſita ſecundum ſitum triplicem habeant differentiā longitudinis ſcilicet latitudinis,& altitudinis illi longitudinis extrema pro reuocanda in hac paſsione materia, & non latitudinis ( vt Arabes) magis laudauere. Extrema vero longitudinis ſunt ſurſum, & deorſum, & ideo dixit Hippocrates, quod aſcendente materia ad iugulum dolentis lateris interna cubiti vena ſecāda eſt, vt ſcilicet materia ſuperna petens ad inferna reuellatur. Immo ibidem dixit Hippocrates, ſectio vero non pariter dolorem leuat, niſi vtiq; clauis vellicetur,& Gal. eodem in loco dixit. Quoniam neceſſe eſt venam incidere, quæ magis, citiuſq; à patiente parte, & antiſpare ſanguinem, & vacuare poſsit. Omnes tam Arabes, quàm Græci pro huiuſcemodi materia dum fluit reuellente ad oppoſitā partem auxilio vſi ſunt. Ita enim extremum inferius extremo ſuperiori opponitur, ſicut dextrum ſiniſtro, & omnia extrema, quæ ſecūdum poſitionem ſunt, & inuicem opponuntur, pari ratione reuellunt. Non igitur culpandus eſt Auicenna: ſi incipiente phlegmōe pleu

ritico in dextram thoracis influente materia venam in cubito sinistræ particulæ incidendam esse dixit: cum à dextro ad sinistrum linea recta secundum latitudinem protendatur, cuius extrema sunt opposita. Vnde sequitur, vt secundum rationem ab altero secundum latitudinem extremo ad alterum eiusdem lineæ extremum reuellere possimus, & debeamus; nec alio vsquam. Amethodus enim omnino est qui materiam in sinistram currere intelligat si in superiorem, aut extimam illam recurrere moliatur. Vrget em̃ ratio, quod si materia flués reuellenda est: cumq; reuulsio fiat ad oppositũ ab opposito. Et cũ sinistro nihil præter dextrũ opponatur, vt quicquid in sinistrã fluit, in dextram reuocetur. Pari etiam ratiõe, neq; Hippocrates, neq; Galenus, & qui illos imitantur, arguendi sunt. Si incipiente in regione costarum phlegmone materia ad iugulum ascendente dolentis particulæ in cubito venam tundere præceperunt. Nam si materia superiora petit ad inferna est retrahenda, & alio nusquam, superius enim, & inferius longitudinis extrema sunt, & opposita. Vnde optima ratione factum est, vt dolentis particulæ cubiti vena secetur, vt materia superna petens ad inferna, quæ extrema longitudinis sunt, conuertatur. Sicuti etiam si materia in dextram ingruit, ad sinistram, optima et necessaria ratione sinistri cubiti venam tundere

tes retrahitur, dummodo reuulsiõis rationem custodire velimus. Quomodo doctissimus Auicenna à ratione nequaquam discedens vsus est. Quem iuniores quidam indocti,& omnino àmethodi tanto odio prosequuntur Hippocratem,& Galenum obiicientes,qui dolentis lateris venam tundere præceperunt non videntes quod illi reuulsionem secundum longitudiné, Arabes vero iuxta latitudinem moliuntur,neq; vlla est inter illos dissensio,quæ ratiói reuulsionis contradicat. Et omnes hos cõuersionis modos ratio ipsa dictat. Quoniam omnibus reuulsionibus communis est oppositionis ratio, quæ vt iam diximus sub triplici gñe cõtinetur.

## *Conclusio quinta.*

LICET longitudinis,latitudinis,& altitudinis extrema pari ratione reuulsionem respiciant:non pari tamen vtilitate in hac passione reuellunt.

Hanc sententiam à Gal. habuimus in lib. de venæ sectione, cum inquit. Quin & pleuriticis quæ è directo laborantis adhibita fuit sanguinis missio clarissimam sæpe vtilitatem attulit. Quæ vero ex bracchio opposito, aut omnino obscuram,aut certe post temporis interuallum,hæc Gal. Vnde illud nobis apertissime constat reuulsionem; quæ à superioribus ad inferiora fit,quam è directo laborantis late-

ris appellat clarisſimam ſæpe vtilitatem afferre: & quæ à dextro ad ſiniſtrum, vel econtra quã ex oppoſito brachio appellat, aut omnino obſcuram, aut certe poſt temporis interuallum: ratio tamen oppoſitionis in longitudine, latitudine, & altitudine vna eſt, quoniam extrema hñt quæ illas diametros lineas terminat. Quarum termini ratio ſunt, & oppoſitionis, & reuulſiõis cum hæc ſit ad oppoſitum ab oppoſito retractio. Sed vnde eueniat, vt illam directam reuulſionem clarisſime ſentiant, alteram vero obſcure, & poſt temporis interuallum vlla ratiõe nõ ſatis conſtat, ſed experientia ipſa licet Galenus manifeſtam illam vtilitatem rectitudini ſecundum ſitum, & communitati tribuat. Sed quare eandem rectitudinem, & communitatem cæteris oppoſitionibus non aſcribat, non exacte video. Cum oppoſita omnia extrema ſint rectæ lineæ. Niſi illam, quod humores facilius à ſuperioribus ad inferiora ſuapte natura feruntur deſcendunt, quod ſua grauitate fieri credimus. Alii venarum villos in cauſa eſſe dixerunt, quibus aſſentiri non poſſum, cum illorum placitũ nulla rationem fulctum ſit, neq; bonorum authorum ſententia munitum. Quapropter nos pro incerta illorum ratione manifeſtam experientiam, quam ab vtilitate oriri videmus, accepimus. Non enim ratio ſolum. Verum etiam vſus ipſe indicat aliam alii parti vacuationem cõ

gruere. Vt Gal.13.meth.docuit. Cum igitur Galenus hunc operandi modum,& ratione oppositionis,quæ inter superius, & inferius est,& experientia ipsa magis prodesse asseruerit. Alium vero minus,& serius:hinc est,quod illo( nisi alia nos causa remoretur)vti debemus & Hippocrati satius est,& Galeno obsequi,quam Auicē nam,& Arabes imitari,qui soli rationi subscriptores vsum neglexerunt,aut potius nō cognouerunt. Conuenere igitur cum græcis Arabes in oppositorum ratione,in reuulsione, & in exacta fere lateralis morbi curatione. Ab illis eo solo deficientes, quod reuulsionem secundum oppositionem,quæ in latitudine reperitur, cuius extrema sunt dextrum, & sinistrum faciendam esse præcipiunt. Græci vero secundū oppositionem,quæ in longitudine, & directa est, quæ superius,& inferius respicit eandem facere docuerunt,tanti enim fecit Hippocrates directionem in reuellendo,vt si dolor non ascendat supra diafragma ad iugulū vsq; venæ sectionē īhibeat,& ellebori potionem suadeat. Nō ergo insudādū est inter Galenū,& Auicēnā pennem hāc litem cōponere. Vt Thurinus voluisse videtur. Irritus eñ labor ē inter illos cōcordiā meditari qui consulto volunt esse discordes.

Possem profecto sermoni nostro finem imponere cū verissimas de reuellenda in laterali passione materia cōclusiones posuerim. Easq; ma-

nifestis Galeni,&Hippocrati authoritatibus,ra tiõibusq; firmauerim. Sed nequis à Thurnni ra tiõibus decipiatur,iõ easdem diluere aggrediar

Thurini verba ad Mattheum Curtium. His vir eximiæ facile rñdetur. Asserentes Hippocra tem docere venã, quæ ĩcidenda est in actu cura tiuo,& non quæ incidéda est in actu præserua-tiuo harum prima pars respicit materiam,quæ fluxit,siue in totum,siue in partem. Et hæc debet non in principio fieri,sed in statu,& per rectitudinem patientis particulæ. Et hæc est eua cuatio,quam deriuatiuam vocant Hippocrates &Galenus,quæ humorem,qui fluxit,intuetur. Venæ incisionem,quæ ad artem pertinet, quæ præseruatiua dicitur,quæ fit in principio,& ad partem contrariam particulæ patienti, & respe ctu humoris,qui actu fluit,quam Hippocrates retrhactionem vocat ipse,vt breuiloquus omi sit:hæc Thurinus. Cuius sententia non paucis neq; paruipendendis scatet erroribus. Quorũ primus est, cum inquit Hippocratem docere venam,quæ incidenda est in actu curatiuo, & non præseruatiuo. Hoc enim Hippocrati imprimis aduersatur.qui 4.de rat.vict. in acu. te. co.74.hæc habet. Si vero dolor ad clauiculam pertigerit,aut molesta sit,vel brachio, vel mãme, vel partibus septo transuerso superioribus grauitas:internam cubiti venam secare expedit recto à latere dolente tramite, neq; vt copiose sanguis

ſanguis detrahatur eſt cunctandum. Quibus profectò verbis Hippocrates nos monitos voluit phlegmones ſignis apparentibus cũ curandũ non eſſe ſanguinem mittere. Sed ad venæ ſectionem ſolicitos properare. Signa eñ ab Hippocrate eo loci notata non ſolũm paſsionem, ſed & paſsionis ſedem, & materiæ motũ ſignificãt, quæ ſigna non tñ in morbi vigore, ſed inchoãte, & increſcente etiã paſsiõe apparere videmus Quod ſi iuſſerit Hippocrates illis ſignis apparentibus venam ſecare, & inchoante paſsiõe, & in creſcente illã cõtundere ne horã quidẽ interponemus, vt ſucci altiora petentes conuertãtur ad ima. Quod opus præſeruatiuæ artis, & non curatiuæ officium eſt. Quod ſi hæc Thurinum recantare non cogant, Hippocratem degat, qui eodem in libro ſic habet. Nigrum veratrum laterum vitiò laboranti per exordia cum dolor vexabit dato, & vetus tranſlatiò dicit in principio. Quapropter ſi inchoante laterali morbo, Hippocrates nigrum veratrum exhibet, eo etiam magis ſanguinem mittet. Veratrum enim concoctam materiam deſiderat niſi forte materiam illam ad apoſtema excitandum ſubrepentem turgere quis dixerit, cui coctio non debetur. Sicuti etiam in venæ ſectione nõ expectatur. Quæ dicta (ni fallor) Thurini dictum vanum reddunt eaq; à recta medicandi methodo late diſtare demonſtrant. Cum Hip-

pocrates, & helleborum potare, & sanguinem mittere laterali pasione incipiente iusserit. Quæ materiam fluentem, alio reuellat, & non deriuet. Quæ quidem præcustoditiuæ & non curatiuæ artis officia sunt. Thurinus etiam arguendus est: quod tam audacter Hippocratem ita breuiloquentem dicat, vt eius doctrinam non minus mutilam, quam obscuram esse affirmauerit, cum præcustoditiuam partem intactam dimiserit & legentes tanti viri consilium vana spe delusisse videatur. Cum morbi, dum fit doctrina omnem facti morbi curationem præcedere debeat, ut Gal. 3. tegni recta methodo apostema, dum in generatione est, & quando factum iam est curare docet. Quod si quis magnum hunc Thurini errorem detegere magis cupit, Galenum sic dicentem attente auscultet. Supponit eo loci Galenus cuipiam perticulæ multitudinem sanguinis influi ita, vt venæ eius tumeant, tendantur, vt ad vacua vsq; spacia sanguinis resudet, vnde pars in tumorem attollatur. Quæritur modo qua nam methodo affectæ particulæ succurrendum sit. Inquit Galenus euacuatione, siquidem morbus immoderata est partis repletio. Deinde euacuationis modum docet quem duplicem esse ait: vel scilicet, quia materia parti inhærens retrocedet, vel quia per ipsam patientem particulam euacuabitur. Retrocedet autem, vel im-

pulſa, vel attracta, vel tranſmiſſa. Per locum vero patientem euacuabitur partim manifeſte, & ſenſibiliter, partim vero in vapores reſoluta, in qua nullam video ſanguinis miſsionem, quæ ad animi deliquium ægrotum perducat; & hæc integra affectæ particulæ curatiuæ, & non præſeruatiuæ methodus eſt. Illa enim factum morbum tollit, & materiam in languente particula congeſtam hoc aut illo auxilio docet abſumere. Præſeruatiuam autem methodum ibidem docuit, antequam facti morbi curationem aggrederetur plenitudinem vacuando, & influentem in particulam ſuccum reuellendo. Idq́; per ſanguinis miſsionem, & ſi dolor valde moleſtus fuerit, vſque ad animi defectum, vt iuſsit Hippocrates. Sed in curatiua methodo nullam venæ ſectionis mentionem à Galeno factam eſſe video. Neſcio igitur vnde nam Thurini illa tam copioſa ſanguinis miſsio facto iam morbo ortum habeat, & cuius auctoritate fulta ſit. Quod ſi illa in facti morbi curatione locum ſuum habet, merito Galenum, aut ignorantiæ, aut obliuionis arguemus, qui dum vnum pro cunctis nobis exemplum daret, potiſsimam hanc & maxime neceſſariá ſanguinis miſsioné omnino poſthabuit. Vel illa nobis à Thurino celebrata phlebotomia fruſtra ímo exitialis eſt, qđ magis credo, & ea propter tanquam ſcopulus

fugienda.

Secundum Thurini erratum est, cum inquit Phlebotomia curatiua non debet in principio fieri, sed in pleuritidis statu. Vt sensus sit phlebotomia euacuatiua materiæ, quæ iã fluere restitit nõ est in pleuritidis principio. Sed in summo eius vigore tẽtãda, summus aũt huius passionis vigor tunc est, vt Gal. primo de crisi. ca. 18. dixit, quando laborans exquisite cocta sputat, & multa, & facile. Dicit igitur Thurinus phlebotomiam, quam Hippocrates facere iussit, tunc faciendam esse, quando materia, quæ in affecta particula latet exquisite cocta est quam laborans copiose, & sine difficultate expuit. Quæ sententia ita pernitiosa est, vt nihil hac passione laborantibus possit deterius excogitari. Cum eo in tempore medicus naturæ emulus pro materiæ facti morbi expulsione nihil citra eius coctionem, quæ faciliorem sputum reddat, meditetur. Quæ ab vbere sanguinis missione, quam ad animi defectũ vsque iussit Hippocrates, crudior, crassior, viscidior, & expulsioni contumacior reddatur. Sed fortè Thurinus dicet, vt ex iunioribus quidam medici dicere consueuere de statu qui ad accidentia, & non ad materiæ coctionem refertur sermonem habuisse, de quo passionis statu Gal. primò de rat. vic. in acu. co. co. 36. meminisse videmus. Cui dicimus in

pafsione hac febres, lateris, dolores, fpirationem difficilem tufsim ficcam, quæ funt pleurefsis accidentia laborantem magis affligere, quando morbus incipit, quam in morbi progreffu. In principio enim materia eft cruda, & non expuitur, in ftatu vero econtra eft, & pro pter hoc laborantem minus torquent, à morbi enim initio omnia illa mitiora fenfim redduntur. Cum præfertim folers medicus inchoante morbo totius plenitudinem larga fan guinis mifsone curauerit, & in aliquam partiũ ingruentes confertim humores, ad fontem vt reccurrerent pro reuulfione operam dederit: & ea propter tradiderunt nonnulli fummum accidentium vigorem cum morbi principio in huius generis pafsione conuenire. Sed mifsos hos faciamus, & Thurino gratis condonemus fummum illum pleuritidis vigorem in feptimam vfque protendi diem, aut etiam fi mauult in vndecimam, aut decimam quartam erit ergo Thurini mens, quod in feptima, aut vndecima, aut decima quarta fanguis mittendus eft, & ita copiofe, vt ad animi deliquium vfque perueniatur, dummodo vires conftent, quæ nullo vnquam modo conftare pofsunt, quando plenitudo larga fanguinis profufione in principio curata eft, & humorum impetus fecta iterum vena fedatus, & tenui victu tot diebus vfus fuerit, quod fi larga illa

ſanguinis profuſio fieret nihil aliud eſſet, quã vitam cum ſanguine fundere.

Quin etiam Thurini dictnm Galeno palam aduerſatur, qui reuellere, & plenitudinem vacuare inchoãte, atque etiam vigente paſsio ne nos docuit. Curare autem morbo iam facto, vt in lib. de ven. ſect. cap. 19. apparet, cum inquit. Capitis grauitates, & inueteratos in eo ex plenitudine dolores leuare manifeſte ſolet tuſa vena. At incipientes, aut etiam vigentes per cucurbitam in ceruice procurata retractio: interim quidem ſolum, interim cum ſcarificatione: & eadem ratione. Incipientes in occipitio dolores, aut etiam vigentes inciſa frontis vena iuuat. Conſideret Thurinus, quod reuulſio, & inchoante, & vigente morbo fit. Sed deriuatio facto iam morbo, & materia non amplius irruente. Deriuatio dico ſecundo modo accepta. Sed quid ignauius, & & dicto abſurdius excogitare potuit, quam affirmare morbum factum curari non poſſe, niſi in ſtatu morbi, qui fit cum hunc recta methodo priuſquam factum curare expediat. Quod Galeni verba apertiſsime monſtrant, cum inquit, quo profecto opere ideſt, poſtquam plenitudo fuerit imminuta, & humores impetu fluentes alio retracti ad facti morbi curationem accedere oportet. Præterea fieri non poſſe videtur, vt materia iam cocta, & ſputari pa-

rata ita patientem affliĉtet, vt medicum ad animi deliquium vſque cogat ſanguinem mittere. Cum præſertim vacuatiuam, reuulſiuamque phlebotomiam huic præmittendam eſſe dixerit. Præterea quam inutilis eſt Thurini de pleuritidis curatione doctrina, quæ tres vobis phlebotomias proponit. Euacuatiuam, reuulſiuã, & hanc quam in ſummo morbi vigore, illamque ampliſsimam ad animi vſque defectum præcipit, nec poteſt quis dicere in morbi facti ſtatu. Cum principium aſcenſus, & vigor, morbo dum fit, debeantur, & non facto. Illæ enim affectus differentiæ ab effectricæ cauſa deductæ ſunt. Quæ in facto morbo reperiri non poſſunt: ſin minus morbus factus effectricem cauſam obtineret, & hoc modo morbus factus fieret. Dicat obſecro Thurinus, vnde nam pro copioſa illa ſanguinis miſsione in ſummo morbi vigore indicationem ſumit. Si quidem indicata curatio ab indicatis rei natura elicitur. modo quid eſſe poteſt, quod illam eo tempore, & ita copioſam indicet. Non plenitude: hæc enim ante omnem aliam medicam operationem curanda eſt Non fluentes ſucci qui iam reuulſi ſunt, & ipſe etiam hoc non negat. Non materia in particula collecta, cum illa exigua ſit, & per ſputum educenda. Quare Hippocratem copioſam illam phlebotomiam inchoâte morbo, atque etiam increſcente, & vigente præ-

cœpiſſe credimus: non ſolum pro totius pleni-nitudine vacuanda. Sed etiam pro materia in particulam ingruentem reuellenda. Neque aliam præter has in phlegmones curatione Galenum, aut Hippocratem tam copioſam ſanguinis miſsionem præcepiſſe memini. Quare vt deficiat animus, ſuperuacaneam, & inutilem tertiam illam phlebotomiam eſſe non dubito. Illorum tamen iudicium ſit, qui rectam medendi methodum cuſtodiunt, & rectas curatiuas intentiones à morbi natura eliciunt.

Tertius Thurini error eſt cum inquit. Euacuatio deriuatiua per rectitudinem patientis particulæ non in principio, ſed in ſtatu fieri debet. Manifeſtiſsimus eſt hic error. Nam ſi inchoante morbo materiam fluentem reuulſu retrahere opus eſt: eadem ratione in morbi initio eſt deriuanda. Cum tam reuulſio, quam deriuatio fluentes humores à patiente particula pariter auertant. Solo illo interſe diſtantes, quod reuulſio ad oppoſitam, & diſtantiſsimam partem ingruentem materiam retrahit. Deriuatio vero ad propinquam, & ad latus illam propemodum intercipendo deflectit. Dixit enim Gal. 5. meth. Auertitur autem ſanguis, atque ad alia membra conuertitur, tum ad proxima deriuatus, tum ad contraria reuulſus. Et iterum ibidem inquit. Porro confluere prohibetur, & propter animi deliquiú

um, & cum ad contrária reuellitur, & cum ad vicina deriuatur: &. 9. meth. dixit, ac in his quidem misśio ſanguinis vtilis eſt, ceu vacuan tium præſidiorum vna. In aliis ceu, quod humorum vehementiorem impetum ad diuerſam partem reuocet, vel per propinqua deriuet. Quod ſi ita res ſe ſe habet. Tam reuulſio, quam deriuatio fluentes humores ad alia loca conuertunt, qui quoties fluunt, toties ſunt, & reuulſione, & deriuatione alio tranſmittendi, ſiue paſsio in principio, ſiue in augumento fuerit. Dicet forte Thurinus de deriuatione hac non habuiſſe ſermonem. Sed de illa, quæ materiam non amplius fluentem educit, & de illa quæ membro inhæſit, de qua Gal. 4. meth. meminit, cum dixit. At ſi iam fluxio reſtitit, atq; membro inhæſit deriuatio per vicina magis expedit. Cui dicimus deriuationem hanc in morbi ſtatu exercendam non eſſe. Tum quia factus morbus, qualis ille eſt, quando materia non amplius currit, ſed membro inhæſit, non habet ſtatum vniuerſalem, qui ad accidentia referatur, nam effectrice morbi cauſa deficiente, qui ſunt humores influentes, morbus amplius in generatione non eſt. Sed iam factus appellatur, factus vero morbus non habet accidentium tempora, ſed coctionis tantum. Erit igitur Thurini ſententia deriuationem materiæ iam

membro affixæ exercendam esse in statu morbi facti, idest, quando materia est exquisite cocta, & per sanguinis missionem, eamque ita copiosam, vt ad animi deliquium vsque ægrotum perducat: quæ res adeo exitialis est, vt pleuriticos omnes deploratos faciat; est etiam contra Galeni præceptum, qui 2. ad Glauc. materiam in thorace, & pulmone contentam per tusses expurgare præcepit.

Cum vero Thurinus dixit consequentiam hanc non valere. In pleuritide vena secanda est ex eodem latere ergo in principio. Dicimus & nos sequelam illam non recte illatam esse sine congrua verborum Hippocratis interpretatione, qui, vt supra diximus, non solum sanguinis missionem moliendam esse dixit: sed secundum rectitudinem affecti lateris, atque etiam in principio: cuius verba sunt. Apparentibus costalis morbi notis, non tardato sanguinem mittere; & etiam dixit veratrum nigrum per exordia dato. Quod si hęc omnia Thurino non sufficiant, Galenum Hippocratis verborum interpretem audiat. Qui 4. de rat. vic. in acu. ita locutus est. In præsenti loco partis legiptimæ sententiam elaborat. Quoniam in ea prætermissum est, quod simul cum dictis intelligitur. Adiicitque illud venam scilicet secandam recto à latere dolente tramite: hæc Gal. Si igitur Galeni Hip

pocratis verborum expositioni stare voluerimus adiiciemus, sermoni ea verba quæ Galenus.2.de rat.vic. in acut.co.10.legitur ab Hippocrate prætermissa esse dicit. Quæ sunt venam secandam esse recto à latere dolente tramite, quibus additis erit Hippocratis sermo. Si vero dolor ad clauiculam pertigerit, aut molestus sit, vel brachio, vel mammæ, vel partibus septo transuerso superioribus grauitas internam cubiti venam secare expedit recto à latere dolente tramite, neque vt copiose sanguis detrahatur est cunctandum. Quod si diligenter hæc Hippocratis verba considerare voluerimus primo loco affectæ particulæ notas tradit, cum inquit: Si vero dolor ad clauiculam pertigerit. Secundo venam incidendam docet, cum ait. Internam cubiti venam secare expedit. Tertio cuius lateris vena secanda sit, cum inquit, recto à latere dolente tramite. Quarto mittendi sanguinis quantitatem, & horam, cum dicit, neque vt copiose sanguis detrahatur est cunctandum. Quæ omnia, ni fallor, pleuritidis, quæ in generatione est curationem docet, & affectam partem, & sanguinem esse mittendum quantitatem venam latus, & horam, ita vt nullus dubitationi relictus sit locus: & sequelam illam, quam Thurinus tanquam inualidam reiecerat, necessariam reddunt. Quæ etiam Thurini opi-

nionem euertunt:& noſtras huius commenta
rioli præpoſitas concluſiones ita muniunt,vt
nullus vnquam eas ſuo loco dimouere poſsit.

His ita diſpoſitis illud ſupereſt, vt Thurini obiectiones diluamus. Atque illas præſer tim. quas tanti fecit, vt illis Herculis, Achillis, Hectoris nomen indiderit. Imprimis illud memoriæ reuocantes. Quod Thurino aſſentimur, quod in huius paſsionis principio cum materia adhuc fluit, illa ſit ſtatim ad particulam oppoſitam reuellenda. Nullus enim ex græcis, aut Arabis, latiniſúe iuuentus eſt, qui ne tantillum quidem ab huiuſmodi ſententia ad oppoſitam deſciuerit. Ideo vnico verbo multis Thurini rationibus reſpondemus. Annuentes, inchoantes phlegmones materiam in particulam ſubrepentem in ſibi oppoſitam partem eſſe reuellendam. Dicimus tamen in coſtali morbo à ſuperioribus ad inferiora citius, & vtilius reuelli, quam à dextris ad ſiniſtra, & quam ab intimis ad extima, vt experientia compertum eſt, & Galenus affirmat. Quam rem Thurinus nunquá olfecit. Quod ſi ipſe, aut ratione, aut Galeni authoritate conuincet, aut etiam quiuis alius retrhactionem, quæ à ſuperioribus ad inferiora fit, non eſſe apud Galenum reuulſionis genus, neque cæteris vtilius, & magis præſenta neum illi nos manus daturos pollicemur, &

totum, quod diximus, recantare promittimus Illud præmonentes velle nos Hippocratis, & Galeni sententiis tantum acquiscere.

Arguit præterea Thurinus alia (vt ipse credit) ratione ita valida, vt enodari non posit, & inquit. Si quando mi Cutti diuertere licet per phlebotomia factam in latere opposito, & in apostemate facto in cruere, cur non conuenit idem fieri in pleuritico morbo, & quam ob causam ratio quam adducis, quod apostemate existente in vno crure phlebotomia fieri debet in altero non militat in pleuritide: & quam ob causam ratio, quam adducis videlicet, quia misio sanguinis facta in eodem trhait humorem ad locum: hæc Thurinus: & quæ sequuntur omnia curiosis legenda relinquimus. Nihil satis fuerit vim suæ rationis notasse, illamque diluere. Vis eius in hoc versatur. Quare est, vt dextro crure affecto sinistrum pro reuellenda materia scarificamus, vt author est Gal. 13. meth. dextro autem pectoris latere laborante ad sinistrum non reuellimus. Vt Galenus in quampluribus locis dixisse videmus, tantaque est apud Thurinum huius rationis vis, vt insuperabilem esse credat: & eam ob rem Achillem appellat. Cui pro Curtio Manardus in sua ad Thurinum epistola somniculose satis respondet; dum rationem reddere conatur. Quare alte-

ro affecto crure, ad alterum materiam fluentem reuellimus: & quare in costali pasione huius generis reuulsionem non molimur. Quæ omnia magnam mihi profecto admirationem attulerunt. Cum tanti viri cæcutientes à recto Galeni tramite discedant, totaque aberrent via. Non enim vnquam somniauit eo loci Galenus materiam ab altero crure ad alterum crus esse reuellendam, vt tres illi magni nominis viri, magna etiam aliorum medicorum caterua septi crediderunt. Nulla ibi fluentis materiæ: Nullaque reuulsionis mentio à Galeno facta est: sed solius plenitudinis & cruris, scarificationisq;, quæ plenitudinem minuit. Cum itaque Galenum eo loci reuulsionem ab altero crure, ad alterum præcepisse dicunt, aperta fronte negamus. Et vt res clarissima prospiciatur Galenum ipsum sua verba dicentē audiamus; quæ sunt. Quin etiā Macedonicum, quod vocāt Pharmacum, similiter si cut Tetrapharmacum ipsi vlceri imponere licebit. Etenim similia inter se sunt solo thure Tetrapharmacum Macedonico superāte. At si plethoricum corpus sit, vel malo succo redundet: curatio per ea, quæ sic calent, fluxionem ad membrum citat. At qui nec alia vlla vti datur. Cogimur ergo alias sanguinem mittere: Idque aut vena incisa, aut membris iis, quæ læsa non sunt sacrificatis. Manu enim labo-

rante ſcarificabis reliquum. Has namque vacuationes indicat ipſa copia; Sicut etiam ſuccorum vitium redundantis ſucci eductionem, hæc Gal. Quæ verba Macedonico, aut Tetra pharmaco medicamento vti quando corpus plenum eſt, & plethoricum, aut quando malis ſuccis redundet, non approbant, & ratio eſt, nam medicamenta illa ſua ad membrum affectum caliditate plenitudinem, & malos humores citant, qui magnum malum ſecum afferunt Galenus igitur medicos monet, vt antequam illis medicamentis vtantur, affectum corpus conſiderent, ſi plenum, aut cacochimum ſit. Quod ſi tale fuerit: Prudens medicus, & recta methodo exercitatus duorum altero vti ſibi opus eſt, vel ſcilicet aliud auxilium quod materiam non citet miniſtrare, aut pleno, vitiatóue corpori ſubuenire. Sed quoniam aliud medicamentum non datur. Ideo ad totius corporis curationem conſilium dirigere tenetur. Quod ſi plethoricum ſit, euacuationem auctorum ſuccorum ordietur, idque vel vena ſecta, vel cruris ſcarificatione. Dixit enim apho. 22 euacuatio omnium humorum æqualiter quæ quidem exquiſitiſsima eſt, fit per venæ ſectionem. Proxima autem huic eſt, quæ per tibiarum ſcarificationem, vt nos facere conſueuimus. Præcepit igitur Galenus ſani cruris ſcarificationem non vt fluentes humores retro-

uersi recurrant, sicuti medici illi cæcutientes crediderunt; Sed pro plethorici corporis vacuatione. Quam rem eius, quæ sequuntur verba apertissime probant, cum inquit. Has namque vacuationes indicat ipsa copia. Sicut etiam succorum vitium redundantis succi eductionem. Errauerunt ergo Curtius, Manardus, & Thurinus asserentes alterius cruris scarificationem in casu à Galeno nobis proposito ab altero crure reuellere, & tanquam reuulsiuum abundantiæ auxilium ministrari: cum simpliciter euacuatiuum sit. Nusquam enim inuentum est copiam reuulsionem indicasse, sed humorum sola quantitate peccantium euacuationem. At humorum impetus in aliquam particularum influentium auersionem, & reuulsionem. Sed Galenus eo loci, neque humorum fluentium, neque reuulsionis mentionem vllam fecit: Sed copiæ tantum, & euacuationis: & hic est deploratus, & conclamatus Thurini Achilles.

Magnus etiam est error Brissotti Pastranæ, qui huiuscemodi alterius cruris scarificationem ab altero crure non solum reuellere, sed & pariter deriuare arbitratus est: cum scarificatio illa euacuatiua tantum sit, & minime reuulsiua, aut deriuatiua. Non enim per eandem venę sectionem simul reuellere possumus, & deriuare, & nos alias ex Galeno probauimus

In eandem

In eandem hũc errorem cum Brissotto lapsus est Curtius, dum Galeni verba somniculòse nimis legentes perperam interpraetantur. Galeni verba sunt .2. ad Glauconem ca.13. Si quid vero ex superioribus inflammationem habuerit, veluti in his affectibus, quos graeci sinanchas, & ophthalmias vocant, & quicunque alii capiti aduenerint eas, quae extrinsecus sunt, atque è indirecto, quaeque ipsis patientibus coniunctae sunt, euacuabis, siue retrahere velis, siue deriuare, haec Gal. Crediderunt Curtius, & Brissottus Galenum nobis per illa verba significasse, quod extrinsecarum brachii venarum sectio à superioribus particulis reuellat pariter, & deriuet, vnde infert Curtius, quod eadem euacuatio est diuersiua, & deriuatiua: Sed Galenus longe aliter sensit. Qui cum indicationem, quae ex positu fit aperire vellet, inquit tam reuulsionem, quam deriuationem à partium positura demonstrari. Illud prae caeteris nos monitos faciens, quod vtrunque euacuationis genus reuulsiuum scilicet, & deriuatiuum per comunes venas, membroque coniunctas faciamus. Communes enim venae facilius, citiusque auxilium praestant. Caeterae vero aegrius, aut nullum. Et iterum eodem in loco dixit. Fluentium humorum retractio: Eorum autem, qui iam locum obsiderunt, deriuatio medela est.

C

Vtrumq; autem euacuationis genus per communes venas fieri præcepit Hippocrates. Procedit deinde Galenus rem hanc in matricis passionibus declarando, vbi reuulsione, & vbi deriuatione opus sit; nec non in lienis, iecorisque affectionibus. Demum de superioribus membris, & de capitis morbis meminit, nobisque iterum ad memoriam reuocat venas affectæ particulæ communes, coniunctasque secandas esse, siue reuellere, siue deriuare velimus; ita scilicet, vt si reuellere cupimus, venas secemus, quæ communes, coniunctæque affecto membro comperiantur; & eodem modo de deriuatione nobis sentiendum esse dicit. Et non vt Curtius dicebat, vtranque illarum vacuationum per easdem venas simul fieri: ita vt eadem euacuatio reuellat simul, & deriuet. Si enim hoc Galenus voluisset, non ei opus erat tanto studio, tantaque vasorum serie in lib. de san. mis. cap. 19. & 2. ad Glau. venas, quæ deriuant, & quæ reuellunt singillatim commemorare. Legant obsecro, qui Curtium colunt, hæc, quæ in lib. de ve. sect. ca. 19. nobis scripta reliquit, sicut capitis grauitates, & inueteratos in eo ex plenitudine dolores leuare manifeste solet tusa in fronte vena. At incipientes, aut etiam vigentes per cucurbitam in ceruice procurata retractio: interim quidem solam, interim cum scarificatione:

hæc Gal. Quod si in capitis affectibus vna tantum venæ sectio pro reuulsione, & deriuatione satisfacit (vt Curtius dicit) non opus erat Galeno in capitis passione duarum venarum sectionem præcepisse, alteram, quæ reuelleret, & alteram quæ deriuaret. Mens ergo Galeni est: quod siue reuellere, siue deriuare cupimus, vt vtrunque horum per communes, coniunctasque affecto membro venas moliamur.

Ad aliam vero Thurini argumentationem quam quoniam inexpugnabilem esse credidit, Herculem appellat. Quæ in costali passione pro reuellenda materia Saphenam incidendam esse suadet hoc modo respondemus. & hoc in loco Auicennam missum facimus. Quod in laterali morbo nunquam Saphena pro materiæ reuulsione secanda est: Sed iecoraria ipsa licet Saphena ab affecto loco magis distet, quam iecoraria. Et quamuis Galenus ad maxime distantia reuellendam materiam esse dixerit. Nam & Hippocrates, & Galenus reuulsionem, deriuationemq; omnem, p communes, coniunctasq; afflicto loco venas moliendas esse dixerunt. Cumq; Saphena, neq; costis, neq; iugulo cóis, coniunctaúe sit, ideo ab illis reuellere, neque deriuare potest: Sed iecoraria econtra se habet, si Galeni dictis stare voluerimus, cum communis, con-

iunĉtaq; ſit ſuperioribus, & hæc de ſanguinis miſsione in laterali morbo diĉta ſint ſatis.

Cum præſertim quæ à nobis diĉta ſunt Thurini, Herculem, Achillem, & Heĉtora deleĉtos heroas ha ĉtenus inuiĉtiſsimos iugularint.

